



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6. De Monte Pietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

TRACTATUS SEXTVS, F
De Montepietatis, in quindecim capita diuisus.

S Y M M A R I V M.

- 1 Quid sit Mons pietatis, quæ eius capitula, & quid discutiendum.
- 2 Ex quibus & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.
- 3 In genere, & in qua specie virtutis, vel vitij operationes iste locentur.
- 4 Conditiones iusti commutatiui & distributiui.
- 5 Prima opinio dicentium, nihil vsuræ aut iniustitiæ inueniri in contractibus Montis pietatis stando infra limites iustitiæ commutatiuæ.
- 6 Examinatio prædictæ opinionis cum determinatione quod in his contractibus committatur multiplex iniustitia.
- 7 Secunda opinio examinatur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capitulo.
- 8 Solutio rationum arguentium, quod contractus prædicti secundum commutatiuam iustitiam sint iusti.
- 9 Determinatio, quod in prædictis contractibus committatur vsura.
- 10 Opinio dicentium iusta esse capitula Montis pietatis secundum formam iustitiæ distributiuæ.
- 11 Examen prædictæ opinionis determinans, quomodo hic fit distributio.
- 12 Determinatio quod secundum iustitiæ distributiuæ formam multiplex in hoc Monte iniustitia committatur.
- 13 Opinio dicens in Monte hoc nullum esse propriè mutuum; sed societatem potius quædam pissimis capitulis ad commune bonum unitam.
- 14 Examen prædictæ opinionis determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulis Montis secundum viam, quam secundum alias supradictas.
- 15 Exclusio quorundam extraneorum dictorum concludens vltimo intantiam sententiam.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Mons pietatis quæ eius Capitula, & quid discutiendum.



MONS Pietatis in multis iam Italiae populis erectus, & nunc discutiendus, vocatur summa quedam pecuniæ ad perpetuum vsum pauperum deputata, hoc modo. Compatientes diuini verbi predicatores aliqui inopia multorum pauperum quorum facultates (quia non semper in promptu habere contingit, vnde suis provideant necessitatibus) ab Hebræorum vsuris vorantur, induxerunt populum, vt pietatis intuitu oblatione voluntaria quisquis quod sibi placeret, offerret quatenus ex multis oblati vna quedam fieret numerorum summa, conseruanda integrè ad hoc, vt pauperi cuique mutuari possit, vnde sibi provideat. Et quoniam charitate plena res est hæc fructuosa fuit prædicatio, adunataque est pecunia multa sub communibus custodibus reposita, quæ Mons pietatis dicitur, Quumq; modum conuenientem & perpetuum humano more rectores ciuitatis statuere vellent, quo pauperibus prædicta pecunia distributione perpetua & equali mutuari possit, statuerunt bonos ciues ad hoc exequendum cum his capitulis.

Primò, q̄ custodiât dictam pecuniam, & stent parati ad mutandum egentibus tot aureos (puta tres ad summum) & intra tm̄ non plus t̄pis (puta annum) restituendos, & hoc vt bonum possit esse cõmunius.

Secundò, q̄ pignora ab accipientibus mutuum sumant, & suo periculo custodiât in domo ad hoc conductâ; & restituentibus intra annum reddât, nō restituentium verò publicè vendant, & ex veditiōne pecuniam exigent reddendam domino venditi pignoris, deducto prius eo, quod Mōti debet, & horum omnium & totalis suæ administrationis rationes scriberent, & redderent. Et hoc totum fit, vt perpetuari possit Mons, & futuris pauperib; p̄desse.

Tertiò, q̄ vltra pecuniam mutuam exigant secundum numerum librarum singulis m̄sibus tot denarios a prædictis debitorib; ita quotquot libras aliquis multo susceperit a Monte, tot denarios singulis mensibus, quibus illas retinet, dare teneatur. Et hoc non vt aliquid vltra fortem monti accedat: sed pro recompensatione operarum custodum, & ministrorū, qui publico pauperum bono in supradictis cum se periculo & labore deseruiūt, & expensarum quæ pro p̄sione domus, & emptiōne librorum, & ceteris ab eisdem fiunt. Hæc sunt capitula Montis pietatis. Quorum duo prima; quoniam per se notum est esse sancta, tertium examinandum restat, an sit licitum aut illicitum: & sic illicitum, an vsuram sapiat.

CAPVT II.

Ex quibus & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.

OPortet autem huius dubitationis, sicut & cuiusque alterius veram solutionem ex eius proprijs principijs indagare. Quum autem quaestio hæc moralis sit, & ab homine naturaliter scibilis, nō est ex autoritate diuina aut humana, sed moralis philosophiæ principijs tantum procedendum. Ex autoritate siquidem diuina in canonicis sacre scripturæ libris contenta quedam per se ponuntur credenda: & hæc sunt quæ humani excedunt vires ingenij (quoniam fides est argumentum rerum non apparentium) vt puta quod Deus sit trinus, & alia huiusmodi. Quadã quali per accidens: & hæc sunt multa ratione naturali cognoscibilia tam credenda, quam operanda, vt citius, communius, & tutius veritas humano generi innotescat, ut puta quod Deus sit & quod sit vnus, quod adulterium est malū, &c. In neutro autem horum genere præsens cõtinetur quaestio, scibilis siquidem naturaliter est, & nullibi in sacra scriptura decisa inuenitur. Ex traditis autem in ea si solui debet, oportet ad morales venire propositiones: nisi in quantum creditas, sed lumine naturali notas. Hoc autem est ex principijs moralibus non ex diuina p̄cedere autoritate. Autoritas vero humana tam canonica, quam ciuilis duo similiter tradit operum genera. Quaedam ideo bona, quia mandata, vel mala, quia prohibita, & quedam ideo præcepta, quia bona, vel prohibita, quia mala. In horum primo ordine constat hos, de quibus agimus, actus non contineri: in secundo autem claudi, nullibi explicite habetur. Implicite autem probati non potest ex iuris principijs, in quantum humana sunt autoritate firmata: sed oportet recurrere ad philosophiam moralem, vt ex eius rationibus naturali lumine fultis ostendatur, an hoc sit secundum se malum, aut bonum.

Ex hoc autem, q̄ nulla autoritas quaestionem hanc propriam sibi v̄dicat, euidenter quatuor patere possunt. Primò, quod præsentis quaestionis decisio, nec canonici, nec ciuilis iuris doctores, nec purum Theologum secundum quod Theologia vltra philosophicas disciplinas est simpliciter necessaria, exposcit, sed moralem philosophū. Secundo, quod sapientes

sapientes in hac parte nec hēndi nec vocandi sunt doctores predicti: sed ponentes potius falcem in messem alienam. Gratia tamen sunt eis habende, qui secundum iura, quantum licuit, questionem hanc ventilauerunt. Tertio, quod non est mirum, si tot huiusmodi homines in re hac min⁹ bene dixerint: quoniam tractant fabrilis fabri. Quarto quod ex eo quod tot & tales dixerint vel dicturi sint in re hac suas opiniones, aut decisiones, nemo hęc inrelligens dēt, aut potest conscientiam suam eis credere, sicut nec corporeā infirmitatis periculū aromarijs, nisi stulte committeret.

Nec obstat quod agere de contractibus & vsura, ad iura spectet. & ad papam, & principem decerne re: hoc enim verum est quo ad contentiosa fori exercitia & humana iudicia. Inter homines siquidem summi Pontificis est vsurarum ambiguitates determinare, & non simpliciter. Dupliciter enim aliquid ad ecclesiasticum iudicium spectat, scilicet per se & simpliciter. Et sic summi Pontificis iudicio subsunt ea tantum, quę sunt fidei: eo quod ipse est constitutus à Christo doctor & rector fidelium, in quantum fideles sunt, & non hominum, in quantum homines sunt, & sibi promissa est omni veritas de necessarijs ad salutem fidelium: & non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis. Aliquid verò subditur Ecclesię iudicio per accidens, & scilicet quid, si illud necessarium certa ratione nescitur, aut si rō verē scita ab aliquibus, non capit ab alijs, &c. & de horum numero constat ex dictis questionem hanc esse. Et propterea sicut in his, quę sunt fidei summi Pontificis autoritas omnibus preest rōnibus: ita in his scibilibus supra tam ipsum, quā quęcunque alium iudicem, ratio naturali lumine roborata locum obtinet: contra quam sola auctoris naturę autoritas statuere, aut decidere aliquid potest. Et quoniam solius veritatis amore opus hoc agitur, & materia moralis est, vt omnib⁹ amabilis veritas reddatur, nemo opinans nominabitur, aut mordebitur quouis modo, sed opiniones discutietur, benedicta suscipientes, minus autem bene, ordinantes, & scilicet vires fraternitate & charitate emēdātes.

CAPVT III.

In quo genere, & in qua specie virtutis, aut vitij operationes ista locentur.

Humana opera virtutis, aut vitij susceptiua, in duo secantur genera. Quaedam enim sunt, quorum bonitas vel malitia in ordine ad operantem consistit. vt concupiscere, irasci, timere, audere & vniuersaliter humanę passionis. Talium siquidem reſtitutio sufficienter habetur, ipse operans in seipso aliquo modo se habet, puta si passio secundum rationem refrenetur, &c. Alia autem sunt, quorum propria & per se primo bonitas aut malitia consistit in ordine ad alterum, licet ad completam virtutis bonitatem etiam in ordinem ad operantem bona esse oporteat, vt reddere depositum, restituere accommodatum, & vniuersaliter operationes, quę iustitię subiaccnt. Ad horum siquidem reſtitutionem propriam, id est ad hoc ut iusta opera sint, sufficit quod alteri æqualiter commensurata sint, puta quod reſtitutio acceptionis æquetur. Non enim refertur qua vis intentione depositum reddat, aut debitum persoluat, si operis iustitiam inspicimus, licet plurimum interfit, si iustitię virtutem operanti tribuere volumus. Propter quod hoc est singulare in iustitię operibus, quod iusta operari possunt carentes iustitię virtute, ceterarum autem vir-

tutum opera nemo absque virtute illa explere sufficit. Quod ideo, ut ex dictis patet, accidit, quia ceterę virtutes perficiunt hominem in his, quę sunt ad se. Iustitia vero in his, quę sunt ad alterum, vt in quinto dicitur Ethic.

Quum autem clara luce liqueat opera hæc, de quibus præsens agitur quaestio, in numero eorum, quę ad alterum sunt cum æqualitatis ciuili debito contineri, eorum bonitatem, vel malitiam ex ipsa ratione iusti, quo ad alterum est secundum æqualitatem ciuilitate debitam, considerare oportet. Et ob hoc omnes rationes quę in re hac adducuntur, ex reſtitutione voluntatis & pietate intentionis communitatis & ministrorum defectiua sunt, non n. attingunt ad opus secundum se, an iustum vel iniustum sit. Et quoniam iustum non humana lege positum (quoniam illud non est ad propositum, eo quod non habet locum nisi in differentibus) sed naturale, id est ex ipsa rei natura æqualitate aliqua alteri commensuratum in duas secatur species scilicet secundum iustitiam commutatiuam & secundum iustitiam distributiua, oportet non latere, secundum quam iusti speciem opera hæc examinare oportet, nō. n. eodem modo iustitiam in vtraque inuenitur. Quamuis autem primo aspectu ad commutatiuam iustitiam omnia huiusmodi opera spectare uideantur (quia vel reſtitutionis, vel reſtitutionis, vel locationis actus sunt) quia tamen secundum multos distributiua admiscetur iustitia, idcirco primo secundum formam iustitię commutatiuę, deinde secundum admixtam distributiua, & demum quandam singularem opinionem examinando procedemus.

CAPVT IIIII.

Conditiones iusti commutatiui & distributiui.

Quia vero ignoratis rationibus terminorum, impossibile est intelligere cetera, prelibandum est quid ratio iusti in commutationibus exigat, & similiter quid ratio iusti in distributionibus requirat, ad hæc enim aspicientes, oportet reliqua examinare. In ciuitate, quum totum quoddam sit triplex debiti ratio, sine qua iustum nō inuenitur, considerari potest, scilicet ad partem, totius ad partes & partium ad totum. Primus ordo dirigitur a iustitia commutatiua, secundus a distributiua, tertius a generali, quę legalis alio nomine dicitur, de qua in quinto Ethicorum dicitur, quod neque heſperus neque Lucifer est ita fulgens, aut admirabilis. Partes siquidem ciuitatis sunt singulares personę, quarum & res & opera & personas commutare adinuicem oportet, vt quod vni deest, absque dantis damno ab altera habeatur. Bonum similiter vel malum commune necesse est singulis proportionaliter distribuere, singulorumque bona ad commune bonum ordinanda esse nemo dubitat.

Sed omiſſa pro nunc tertia hac iustitia (quoniam vt post patebit, non est ad propositum) sciendum est, quod iustum secundum iustitiam commutatiua requirit tres conditiones. Prima est, quod ibi sit datio & acceptio ex parte utriusque extremi, aliter commutatio non esset, & commutatiua iustitię, quę directiua commutationum est, propria deesset materia. Secunda est, quod sit inter partem id est singulares personas, aliter a distributiua, aut generali iustitia non distingueretur, unde seruitiū communitati exhibitum, reſtituitur ab ea, vt singularem personam induit, sicut & uendit & emit, vt persona singularis. Tertia est, quod seruet æqualitatem arithmetica, id est quantitatiua, vt scilicet quā Opusc. Caieran. P tum

tum fuit seruitium, tanta sit merces, & quanta la-
fio, tanta vindicta, &c. aliter commutationes iuste,
non essent. Mutuanti. n. quatuor nisi quatuor resli-
tuerentur, iniustitia esset, & simile est in aliis.

Iustum autem secundum iustitiam distributiua,
ria similiter exigit. Primo, quod ibi sit distributio
quae propria iustitiae distributiuae materia, ut ex eius
nomine patet. Secundo, quod sit inter totum & par-
tes, ita quod a toto ad partes terminet, aliter debiti
ratio & distributio in unum non coirent. Distribu-
tio namque petitionem sonat alicuius, quod nisi
totius esset, partibus debitum, ut distribueretur, non
esset. Vocamus autem totum communitatem uel
principem ut sic, partes autem ipsos ciues. Tercio,
quod seruetur aequalitas geometrica. i. proportio-
nalis, ut scilicet talis sit proportio eius quod datur
de communibus bonis vni persone ad id quod datur
alteri, qualis est inter personas ipsas, id est, ut quan-
tum vna persona praecedat alteram in illa repub. tan-
tum quod uni datur excedat id, quod datur alteri.
Aliter aqua non esset distributio, quia boni totius
partibus debiti ratio plus alicui parti debetur, quan-
to pars illa principalior est in illo toto, quae princi-
palitas in diuersis politis secundum diuersa atten-
ditur, scilicet secundum uirtutem aut diuitias, aut
aliquid huiusmodi.

CAPVT V.

*Prima opinio dicentium nihil usurae aut iniustitiae inueniri in
contractibus Montis pietatis, stando infra limi-
tes iustitiae commutatiuae.*

His igitur praemissis illorum occurrit opinio, q
terminos commutatiuae iustitiae non egrediendo
contractus omnes huius Montis, nec usurae
nec iniustitiae aliquid sapere credunt. et quoniam
hi duabus incedunt uis, illa primo adducenda est
quae hos contractus adeo non secundum se iustos
dicit, ut si de cuiusque priuata personae intentione
recta constaret, sicut de pia communitatis & Mon-
tis intentione modo constat, cuiuslibet liceret pecu-
nias suas cum supradictis contractibus pauperi-
bus mutuare.

Ut autem huius ambiguitatis veritas clarius elu-
cescat, ex quo non refert secundum hanc uiam, **I**
quis mutuet, publica scilicet an priuata persona, nec
refert cuius sit quod mutuo datur, an, si mutuantis
sit an alterius, ponamus terminis casum discuti-
endum, praesupposita recta intentione mutuantis, qua
tamen praesupponere non est opus, quia contractus
secundum se iustitiam quaerimus, quae in aequalita-
te commutationis consistit quacunque id intenti-
one fiat. Sit ergo Petrus mutuans indigentium ex-
ponens 10000. ducatos, conducaturque ministros
scriptores, & custodes pignorum, sine quibus mu-
tuum nulli dare uult, exigitque unum denarium
pro qualibet libra singulis mensibus, a singulis ac-
cipientibus, & retinentibus mutuuum, supposito quod
tanta quantitas pecuniae requiratur ad mercedem
debitam ministris, & custodibus, &c. Dicit itaque his
stantibus haec prima opinio tria. Primo, quod hic
sunt tres contractus, scilicet quod in his nulla inuenit
usura, tertio quod in his nulla inuenitur iniustitia.

Primum horum declaratur distinguendo con-
tractus. Est siquidem hic primo contractus mutui
inter Petrum mutuantem & Ioannem pauperem.
Est deinde contractus pignoris inter Ioannem pau-
perem & ipsum Petrum, seu ministros eius quod idem
est, quia in mutuantis persona pignus suscipiunt. Est
& tertio contractus locationis, quo ministri operas
suas locant ad scribendum, custodiendum & excutien-

F dum pignora, &c. pauperes mercedem eis debitam re-
tribuunt, unum denarium pro libra soluendo.

Secundo uero, scilicet quod hic nulla sit usura
probat ipsius usurae ratione dupliciter.

Primo quia usura est quando aliquid ultra sortem
ex mutuo quaeritur, ita quod mutuuum sit non oc-
casio aut causa sine qua non, sed ratio & causa pro-
pter quam aliquid pecunia aestimabile ultra sortem
percipitur. Constat autem ex distinctione contra-
ctuum, quod hic nihil propter mutuuum ultra sortem
quaeritur, sed tantum propter locatas operas mini-
strorum, cuius euidentis signum est, quod si ministri
gratis haec facere uolunt donantes singulis illos dena-
rios, nemo turbabitur.

G Secundo, Quia si ista ministrorum merces esset
usuraria, a quocunque redderetur, esset usuraria. non
enim refert, an feceritori usurae datur ab accipiente
te mutuuum, uel a principe uel a quocunque alio. Sed
constat quod praedictis ministris absque ullo ser-
uipulo potest tanta merces pro iis laboribus a com-
munitate uel principe reddi, ut Mediolani, & Brixiae,
Verona sit, ergo non est usura.

Tertium autem, scilicet quod hic nulla sit ini-
ustitia, declaratur sic. Si hic esset iniustitia aut esset
iniustitia ista ex parte ministrorum, ut ideo iniusti-
tia sit exactio ista, quia ipsi gratis tenentur operas
suas impendere. & hoc non, quia non sumus in ca-
su extreme necessitatis, aut superfluitatis tantae quod
teneantur ad hoc. Aut ex parte modi accipiendi, ut
ideo iniusta sit exactio, quia taxatur vnus denarius
pro libra singulo mense, & hoc non, Tum quia mul-
torum sapientia & bonorum uirorum sententia con-
sideratis particularibus circumstantiis uia haec acqui-
sima iudicata est; particularium autem iudicium
prudentibus uiris committendum est secundum
moralem philosophiam. Tum quia huius modo
suffragatur, commensuratur enim hoc modo solu-
to periculo & labori ministrorum. Quanto maio-
ris pretii pignus, aut maiore tempore retinetur, tan-
to plus periculi custodes subeunt & cura & laboris
si excutienda, ut saepe accidit, pignora sunt. Aut ex
parte pauperum, ut iniusta sit haec exactio, quia a non
debent solui exigitur, & hoc non, propter duo. **I**
Primo, quia si pauper non tenetur ad hoc cum ali-
quis ad hoc teneatur, debet assignari quis est, qui
ad hoc obligetur. Ipse Petrus mutuans non tene-
tur, quoniam damnnum incurere non tenetur ex
hoc, quod beneficium mutui impendit, quinim-
mo si aliquod damnnum ex hoc incurreret, posset a
paupere accipiente mutuuum illius recompensatio-
nem eligere, ut ab omnibus doctoribus concorditer
dicitur. Princeps quoque aut communitas ad hoc
non tenetur, Tum quia sumus extra extremae necessi-
tatis & superfluitatis, quae elemosina non est in precepto,
tum quia principes, etsi teneantur pauperum curam habere
& eis subuenire, non tamen tenentur hoc modo sub-
uenire, ut de se patet. Si ergo nullus inuenitur, qui
ad hoc teneatur, restat quod pauper ipse teneatur. Secundo, quia
morale principium est, quod ille det onera rei sustine-
re, in cuius fauorem res agit, cum autem constet, quod ministro-
rum opera propter pauperes fiat, ut habeant unum suum
prouideant necessitatibus. consequens est, quod ipsi
pauperes debeant ministrorum operas recipere.

CAPVT VI.

*Examinatio propositae opinionis cum determinatione, quod in
his contractibus committatur multiplex iniustitia.*

Quod autem praedicta opinio in multis a uerita-
te deficiat, non ex opinabilibus, sed ex per se no-
tis principiis moralibus deducendum est.

As.

Assumamus itaque duo principia in commutationis contractibus per se euidencia. Alterum affirmatiuum, scilicet ille tenetur mercedem reddere in cuius fauorem opus agit. Alterum negatiuum, scilicet, nullus tenetur mercedem reddere pro opere facto in alterius fauore. Hæc principia stando infra limites iustitiæ commutatiuæ per se nota sunt, quoniam ex seipsis æqualitatem iustitiæ clare continēt, & ideo indisciplinati esset querere eorum probationem. Sub his autem principijs oportet subsumere propositiones minores, quas difficile esset intellectu penetrare nisi prius operationes ministrorum interuenientes in contractibus istis distinguerentur, & sigillatim discutere quæ in eius fauore fiat, hæc. n. decisione habita, statim tota rō integre patebit. Sed hanc decisionem absque errore habendam, oportet ex his, quæ per se inueniuntur in operatione qualibet, & non ex his, quæ per accidens insunt, & ex proprijs & immediatis cuiusque conditionibus, & non ex communibus & remotis sententiam proficere. Propter quod non est, in hac consideratione immiscendum, quod hoc uel illud opus in fauorem cōis, aut aliud huiusmodi, finis siquidem cōmunis & remotus est uniuersitatis bonum in particularibus commutationibus. Iam enim stabilitum superius est, quod iustum secundum iustitiæ commutatiuæ formam attenditur secundum æqualitatem commutationis cuius personæ ad illam personam, & non secundum ordinem ad cōmunitatē.

Ex per se ergo & proximis consideraturi, distinguamus in primis operas has ministrorū, dicentes quod harū operarū quædam sunt quasi per se cōiter intētæ, & hæc sunt illæ, quæ usque ad uenditionem pignorū interueniunt. quædam uero sunt specialiter, & per accidens intētæ: & hæc sunt subhastario & uenditio pignorum, & his annexa, quæ ex mora quorundam debitorū accidūt. Distinguendo autem sigillatim prima opera, dicimus ea esse hæc, scilicet custodia pecuniæ, præparationē ad mutuandum actum mutuandi, sumere pignus scribere hæc, cui annexuntur expensæ pro libris, & custodia pignorum: cui coniungitur conductio domus pro eorum conuersatione, & tandem restituere pignora. Horum autem pars maior & periculosior in fauorem fit Petri mutantis, aut uniuersitatis pauperū: custodia. n. pecuniæ, acceptio pignorū, eorū custodia, scribere hæc expensæ pro libris conductioq; domus (in quibus totum periculum est) ad alterius uel utriusque ordinatur securitatē. Reliqua autem pauca, scilicet præparatio ad mutuandum, & ipse actus mutuandi & restitutio pignoris ad huius pauperis ordinantur se utilitatē.

Et ut clarius elucescant hæc, uideamus singula. Custodia in primis pecuniæ, in illius fauorem proxime fit, cui custodienda reponitur: pecunia autem hæc custoditur duobus, scilicet petro mutuanti, cuius est directum dominium huius pecuniæ: & uniuersitati pauperum, cuius est quasi dominium utile eiusdem. Nulla enim alia ratione hanc pecuniā oportet conseruari, nisi ut Petrus sit securus, si quādo uellet rehabere pecuniā suam, & uniuersitas pauperum sit certa, quod cōmunis sit etiam futuris pauperibus utilitas ista. Acceptio similiter pignorum, quum ad conseruationem & securitatem capitalis proxime ordinetur, constat quod in fauorem ipsius petri & uniuersitatis pauperū fit. et simile omnino est de ipso actu scribendi, & expensis pro libris. Hęc enim omnia nulla alia ratio fieri cogit, nisi ob integritatem & securitatem pecuniæ. Ioānes enim pauper mutuū accipiens, non curat quod

A hæc rescribantur, aut quod pignus ab eo exigatur: sed hæc omnia pecuniæ dominus securitati suæ cōsulens fieri uult.

In custodia autem pignorum considerandum est, quod sicut pignus habet in se duo, scilicet quod sit pignus & quod sit talis res, (puta uestis) ita in ipsa pignori custodia distinguendum est, quod ipsa est custodia pignoris, & quod est cura talis rei. Si consideretur formaliter pignorum custodia, manifeste patet quod in fauorem petri mutuantis, & uniuersitatis pauperum fit, quia proxime ordinatur in securitatem pecuniæ rehabenda. Vnde quia contractus pignoris secundum ueritatem est in fauorem accipientis, ideo accipiens ipsum tenetur ad restitutionem eius. si etiam perdidit illud, ut conuincitur ex illo morali principio restitutionum posito a Sancto Thomā in 2. 2. q. 62. quod aliquis tenetur ad restitutionem non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione acceptiois tenetur restituere, etiam perditam. Et in hoc differt accipiens depositum ab accipiente pignus, quod ille depositum, non tenetur ad restitutionem, quia obligatur ad reddendum depositum ratione rei acceptæ, & non ratione acceptiois, quia depositum datur in fauorem deponentis: iste autem scilicet accipiens pignus, quia tenetur & ratione pignoris accepti, & ratione acceptiois (quia pignus datur in securitatem perentis ipsum) obligatur ad restitutionem non solum quādiu pignus habet,

C sed etiam si non habet, suo enim periculo tenetur naturali iure illud custodire, sicut qui accommodatum accipit eadem ratione, & cetera. Si autem consideretur cura talis rei, quæ est pignus, puta excusio uestium & huiusmodi sollicitudo, sic quia hoc accidit pignori, de sui ratione non exigitur, quod sit in tali materia, sed sufficit sibi quod sit tanti pretij, ut secuta sit pecunia rehabenda, ideo non est eadem ratio de sollicitudine exercenda, & de ipsa custodia. Hęc nanque cura quamuis in fauore utriusque, dantis. scilicet & accipientis cedat dum pignoris domino res sua illesā seruatur, & huic creditori pignoris pretium conseruatur, unde possit mutuam rehabere pecuniā, simpliciter tamen & per se fit in fauorem domini pignoris, quia mutuans licet exgat pignus, non tamē exigit qualitatem pignoris, imo hanc onerosam conditionem refugit naturaliter. Vnde pacisci posset cum domino pignoris talis, quod ipse non uult sollicitudinem hanc, sed quod Dominus ipse mittat tempore curæ rehabenda ad excutiendas uestes suas, & alia huiusmodi. Nec obstant, quod si nullo interueniente pacto uestes in pignus acceptas contingit ladi, retinens ipsas tenetur satis faciendum domino pignoris. Hoc enim non prouenit ex eo quod retinens tale pignus teneatur per se ad curam eius, sed ex eo quod per accidens iste tenebatur ad hoc, quia si non fuit protestatus, manifestando Domino pignoris, quod talis pignoris cura refutaret. Implicitē enim obligatur quilibet sumens pignus quaecumque ad eius curam, expensis tamen domini nisi aliud protestetur. Domus autem conductio in quantum deseruit custodiæ pecuniæ & pignorum, & in fauorem est Petri mutuantis, & uniuersitatis pauperum. In quantum autem pignorum expensio & curæ utilis est, in horum pauperum fauorem. Reliqua autem tria opera, scilicet actus mutuandi, & pignora restituendi, & paratum esse ad mutuandum, in fauorem manifeste sunt Ioānis pauperis. Sed prima horum, scilicet actus mutuandi, & restituendi pignus sub mercede non cadunt, quoniam actui mutuandi respondet actus

D E per se ad curam eius, sed ex eo quod per accidens iste tenebatur ad hoc, quia si non fuit protestatus, manifestando Domino pignoris, quod talis pignoris cura refutaret. Implicitē enim obligatur quilibet sumens pignus quaecumque ad eius curam, expensis tamen domini nisi aliud protestetur. Domus autem conductio in quantum deseruit custodiæ pecuniæ & pignorum, & in fauorem est Petri mutuantis, & uniuersitatis pauperum. In quantum autem pignorum expensio & curæ utilis est, in horum pauperum fauorem. Reliqua autem tria opera, scilicet actus mutuandi, & pignora restituendi, & paratum esse ad mutuandum, in fauorem manifeste sunt Ioānis pauperis. Sed prima horum, scilicet actus mutuandi, & restituendi pignus sub mercede non cadunt, quoniam actui mutuandi respondet actus

Opusc. Caietan. P 2 resti-

restituendi acceptum mutuum, & actus restituendi pignus respondet actui dandi ipsum pignus, sicque par pari refertur. Tertium autem sub mercede esse per se patet, pecunia siquidem estimabilis est obligatio ad paratum esse mutuandum. Opera uero in altero diuisionis membro posita, s. quæ speciali ter respectu quorundam accidunt, (ut uenditio pignoris, & cætera annexa, non opus est discutere, in cuius fiant fauorem, quoniam propter moram debitoris ab ipso soluenda sicut & expensæ, quæ post eius moram fierent in citatione coram iudice, & libris, & ceteris.

Ex omnibus igitur his colligendo, cum pateat vnum tantum actum mercenarium proprie, & per se ordinari uniuersaliter in fauorem cuiusque singularis pauperis, s. obligatam preparationem ad mutuandum, ex supradictis principiis facile veritas intenta deduci potest, consistens in quinque conclusionibus. Prima est negatiua, s. nullus pauper tenetur ad reddendam mercedem debitam ministris huiusmodi pro custodia pecunie uel pignoris, pro opere scribendi libros rationum, aut pro domo ad hæc conducta. Patet ista ex illo principio negatiuo quo dicitur, quod nullus tenetur mercedem reddere pro opere facto in alterius fauorem. Ex dictis enim iam constat ista opera non esse facta in fauorem Ioannis pauperis, sed alterius puta, petri mutuantis, uel uniuersitatis pauperum, uel utriusque. Secunda est etiam negatiua, s. Non omnis pauper accipiens mutuum, tenetur ad reddendam mercedem ministris pro cura pignorum, aut domo ad hæc utili. Patet ista ex eodem principio, quia non omnis pauper offert pignus tale, id est, onerosum, & consequenter non omni pauperi exhibetur hoc seruitium, ac per hoc nec à quolibet reddendam esse mercedem iustitia exigit commutatiua. Nec obstat, si quis fingat omnes teneri ad hoc: quia licet hic non det mihi pignus excutiendum, ego tamē qui ignorabam quale pignus esset allaturus, iam cōdixi excussorem in seruitium eius & aliorum paratum. Ignorantia siquidem hæc non suffragatur, quoniam probabilem cognitionem que in huiusmodi certitudine par est, Mons habet, quod pauperum indigentium mutuo alii afferent pignora excutienda, & alij non, ut quotidiana experientia testatur. Et consequenter conducendus est sibi excussor pro quibusdam, ab illis mercedem receptoris, si iustitiæ commutatiue equalitas seruari debet. Tertia est affirmatiua, s. Petrus mutuans, siue uniuersitas pauperum tenetur ad satisfaciendum ministris pro operibus in prima conclusione positus. s. custodia pecunie & pignoris & cetera. Patet ista ex affirmatiuo principio, quo dicitur, quod ille tenetur mercedem reddere, in cuius fauorem opus agitur. Patet equidem ex dictis, quod opera ista in utriusque uel alterius horum fauorem per se fiunt, non Ioannis pauperis.

Quarta etiam est affirmatiua, s. Quilibet pauper mutuum sumens tenetur satisfacere pro obligata preparatione ministri ad mutuandum, & illi pauperes tenentur ad satisfaciendum pro cura pignorum onerosum & particula pensionis domus in quantum deseruit ad hoc, qui pignora talia afferunt. Patet ista ex eodem principio: patet enim ex dictis obligatam preparationem ad mutuandum in fauorem singulorum pauperum esse: & excussorem pignorum in fauorem Dominorum. Quinta conclusio principaliter intenta, [quæ ex prædictis aperte sequitur] est ista: Iniuste exigitur à quolibet paupere vnus denarius pro libra singulis mensibus, pro

mercede reddenda supradictis ministris & cetera. Clarissima est ista: quia cum iniuste exigatur ab aliquo id, ad quod non tenetur ad omnia soluenda, sed ad vnum, s. obligatam preparationem ad mutuandum, consequens est, quod iniuste exigatur à quolibet merces pro omnibus ministrorum operibus reddenda.

CAPVT VII.

Secunda opinio examinatur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capite.

A Ntequam Soluantur obiectiones ad oppositum factæ & examinetur, an usura hic inueniatur, quo circa supradicta relicta soluenda sunt: ferendaque horum solutioni est secunda opinio, quia eius decisio simul apparet. Restat igitur dubium primum, an Petrus mutuans an uniuersitas pauperum, an uterque simul teneatur ad satisfaciendum ministris pro alijs operibus pro quibus Ioannes pauper non obligatur. Sed si prædicta diligenter inspiciantur, patere potest, quod non Petrus mutuans, sed uniuersitas pauperum tenetur ad hoc. Ad dictum. iam est principium, dicitur quod ille, in cuius fauorem res agitur, tenetur ad mercedem reddendam; constat autem, quod custodia seu conseruatio pecunie in tegre ad quæ cætera hæc opera ordinantur non in Petri fauorem, sed pauperum uniuersitatis sit, qui Petrus non propter se custodiendam pecuniam deponit, ipse. n. per seipsum custodiret pecuniam propriam nisi pauperum utilitas exponendam pecuniam suam custodibus ex posceret. Patet etiam hoc idem ex eo, quod pecunia hæc non custoditur periculo Petri offerentis, quoniam restituenda est sibi non solum ratione rei acceptæ, sed ratione acceptionis, & iam dictum est, quod quilibet tenetur ad restituendum ratione acceptionis, etiam re perditam tenet. Petrus igitur gratis offerens pecuniam mutuis, licet non donet, non tenetur, sed pauperum uniuersitas.

Et tunc surgit secundum dubium, cur iniuste dicatur exigi à Ioanne paupere particula quedam eius, ad quod uniuersitas pauperum tenetur, cum Ioannes sit pars totius pauperum uniuersitatis, sicut autem uniuersitas tenetur ad integram satisfactionem, sic pars eius ad partem. Quinimo impossibile est, quod aliter uniuersitas pauperum satisfaciatur, quoniam præter pauperum res nihil habet.

I Sed ad hoc quoque dubium ex dictis rursus facile haberi potest, iniustam siquidem esse huiusmodi exactionem ratio idcirco commutatiue iustitiæ, infra cuius latitudinem stando, à parte exigi non potest id, ad quod totum tenetur, eo quod totum ut extremum est, commutatiui iusti partis rationem habet, idemque est à parte exigere secundum iustitiam commutatiuam id, ad quod totum secundum eam tenetur, ac si exigeretur ab una parte id quod pars alia tenetur quod iniustissimum esse constat. Ex prædictis autem sufficenter habetur, quod omnes huiusmodi operationes secundum iustitiam commutatiuam formam modo examinantur. Quid autem dicendum sit secundum iustitiam distributiuiam, si locum in hac re habet, proprio loco dicitur. Sat sit tunc scire, quod iniuste exiguntur hæc à Ioanne paupere, si infra iustitiæ commutatiue limites res agatur, ut opinio prima dixit.

K Ex præmissis autem patere potest defectus alterius opinionis defendentis: contractus secundum iustitiam commutatiuam, licet non ita ample sicut prior. Propius siquidem accedens scilicet hæc opinio ad casum Mōtis pietatis, & non curas an singulari personæ liceret pecuniam propriam tali mutuo exponere, casum

casum in terminis ponens, licet in ceteris concordet cum precedenti, in hoc tamen differt, quod Petrus ponit abdicantem a se proprietatem & dominium pecunie mutuande, sicut & illi qui Monti pietatis pecunias offerunt, donant. Et sic casus omnino idem cum Monte pietatis est iste. Petrus uocato populo cum eius rectoribus offert donatione libera & irrevocabili 10000. ducatos, ad hoc ut inde perpetuo pauperibus mutuetur, hac donatione facta stantur post modum a populo & rectoribus ministri, & c. ut supra in isto dicitur casu, cum dominium pecunie nec Petri, nec alicuius alterius sit (cuius signum est, quod absolute loquedo, quicunque ea distraheret, iniuste hoc faceret utpote contra expressam intentionem piam donantis, qui non nisi ad hoc donavit) consequens est, quod obligatio ad mercedem reddendam ministris, ad singulos derivetur pauperes. Communitas enim ad hoc non tenetur, cum extra casum necessitatis extremae & superfluitatis res hac agatur, & ut dictum est, non tenetur ad habendum determinatum modum subueniendi. Patet siquidem huius opinionis defectus ex consideratione principiorum supradictorum, nihil enim minus iustitiae in hoc accidit casu, quam in precedenti. Tum quia Ioannes pauper est hic non tenet ad mercedem reddendam, quia non fit opus in suum favorem, & nihil refert, an hoc opus fiat in favorem Petri mutantis, an communitatis, an uniuersitatis pauperum, an etiam ipsius Dei. Sufficit namque Ioanni pauperi ad hoc, quod ipse non teneat, ista negatio, siquod opus hoc non fiat in suum favorem, quia in hoc casu communi probatum fuit. Principium enim negatiuum adductum, est quod nullus secundum iustitiam commutatiuam tenetur ad mercedem reddendam pro seruitio alteri impenso. Alterum autem esse etiam ipsum pauperum collegium a singulis pauperum, in primo Politicorum patet, & infra iustitiam commutatiuam stando, probatum est prius.

Tum quoniam uniuersitas, siue collegium pauperum ad hoc tenetur etiam in isto casu, & consequenter iniuste a singulis pauperibus mutuum accipientibus hoc exigitur. Eadem siquidem ratio, qua uniuersitatem pauperum ad hoc teneri prius dicebatur, hic locum habet, quoniam non ratione domini ipsius pene ad hoc tenebatur, sed ratione quasi utilis domini, i. quia pecunie securitas, & integritas in suum per se & proxime fiebat favorem, quod in hoc casu manifestius fieri apparet. Et ideo uniuersitas ipsa pauperum ad satisfaciendum ministris pro operibus illis, quae non sunt in favorem Ioannis pauperis, tenetur. Est igitur multiplex secundum istam viam in contractibus his iustitia.

CAPVT VIII.

Solutio rationum, arguentium quod contractus predicti secundum commutatiuam iustitiam sint iniusti.

Obligacionum autem in oppositum adductarum prius conuenit illas soluere, quae iniustitiam ab his contractibus auferre conabantur, & postmodum illos examinare, quae de usura eorum agebant. Dupliciter igitur hic inueniri iniustitiam ex dictis patere potest, scilicet ex parte modi exigendi, & ex parte pauperum a quibus exigitur. Ex parte siquidem pauperum, quia ipsi non tenentur ad satisfaciendum ministris, nisi quo ad aliquid tantum. Nec est inter modica deputandum id, in quo aggrauatur, quoniam ut ex dictis liquet, non tenetur forte quilibet pauper ad tertiam partem soluendam eorum, quae ab ipso modo exiguntur, uniuersaliter. n. non

A tenetur nisi ad satisfaciendum pro obligata praeparatione ad mutuandum, quod cum omnibus suis appenditiis si mercedis nunc exacte tertiam partem sibi vendicat, sufficientem recompensationem habet, unde cum grauetur Ioannes pauper in duabus partibus, non in modico grauetur. Imo si in medietate, vel tertia, vel quarta uel decima parte grauari eum necesse esset, iniustitia esset non inter modica reputanda, tum quia decima pars aliquid notabile esse potest, incerta siquidem est eius quantitas, quoniam secundum Montis diuitias plus & minus poterit mutuari, & c. tamen quia iniustitia modica non reputatur, nisi quando per accidens incurritur: in proposito autem ex intensione committitur unde iniustitiae mortale peccatum non euitatur.

B Ad id autem quod obiciendo quaeritur, quis tenetur ad hoc? Ioannes pauper non tenetur, dico duo. Primo, quod de iuris rigore tenetur uniuersitas pauperum, cui pecunia conseruatur per pignora, & c. et tenetur ipse Petrus mutuans si non in fauore uniuersitatis pauperum pecuniam custodiendam exponeret, aut donaret. Et ad id, quod in contrarium adducitur, scilicet quod nullus mutuans tenetur aliquod damnum incurrere ex hoc, quod beneficium mutui impendit, quin immo potest si quod damnum ex hoc incurrit, secundum omnes doctores exigere, dico quod hoc commune dictum est summe uerum, sed male applicatur ad propositum, quoniam expense istae non causantur ex beneficio mutui, licet occasionentur & remote ex mutuo proueniant, sed causantur ex contractu pignorum, quod formaliter est in fauorem mutantis. Dixi notabiliter, quod occasionantur & remote proueniunt expense istae ex contractu mutui, & non dixi, ex beneficio mutui causantur, quia mutuum non est causa, sed occasio harum expensarum non proxime sed remote, nec habet rationem occasionis huiusmodi, in quantum est in fauorem accipientis mutuum. Propter quod ratio ista concludit oppositum sui intenti, eo quod sicut iniquum est mutantem ex hoc, quod mutuat damnificari, ita iniquum est datum pignus ex hoc laedi, aqua. n. est utriusque conditio per se loquendo. Unde exemplum quod adducunt, quod opus hanc plurimum fouisse videtur, ad propositum non est. Dicunt. n. Si Petrus Mediolani existens Ioanni petenti ibidem pecuniam mutuo, frater dicat, Pecuniam quam petis Genuae habeo, mittam tuis expensis pro illa, & sic mutuum gratis accipito, constat quod Petrus non exigit iniuste a petente mutuum expensas illas, quia non tenetur incurrere danum hoc ex hoc quod mutuat, ergo a simili, neque in his contractibus iniustum est expensas exigere. Ad propositum, inquam, non est exemplum hoc, quia clare patet quod expense istae sunt ad hoc ut pecunia ad mutuum petentem pertineat, & consequenter in eius fauorem per se & proxime ordinantur. in proposito autem nostro expensas istas non ordinari per se in fauorem Ioannis pauperis mutuum accipientis, ex dictis clarissime constat.

C **D** **E** propter quod aduertant cuiusque ordinis uiri, ut exemplis non fallantur, quoniam multa in eis dissimilia inueniuntur, quorum quodlibet, quia non facile est cuilibet discernere, duo subiungenda duximus ex quibus caetera facilius diiudicari possunt. Creditur enim primo, quod sicut Martinus qui mutuat Bernardo indigenti, accepit pecunias a foceratore, & expensas fecit, ut pignora per famulos tute deuehantur, licet pro a Bernardo paupere exigere nomine interesse homodi expensas, & usuram, Opusc. Caiet. P 3 quam

quam soluit, sic in proposito fieri possit a petro: **F** seu communitate qui ad has expensas cogitur ex alio opere facto in fauorem Ioannis pauperis, s. mutuo. Creditur quoque secundo, quod sicut a petente mutuum licite potest mutuans exigere securitatem, & si accipiens mutuum, chirographo eum facere tutum eligat, notarioque mercedem reddat, non iniuste grauat, & tamen chirographum fit in fauorem mutuantis, ita in proposito petens pignus non iniuste grauat Ioannem pauperem circa expensas, ex quibus nihil sibi utilitatis accrescit, sed sola in demeritis Montis feruatur.

Sed in his & huiusmodi plurima est dissimilitudo. Et primum quidem exemplum à Montis natura differt, quod expensas illas Martinus facit, & Bernardi personam induit indigentis subsidio tali, quasi sibi pignora accommodans, ut mutuum inueniat, & ideo non est mirum, si expensas tales Bernardus tenetur subire, nihil enim minus tenetur, quam si ipse per seipsum à feceratore mutuum sumens expensas illas fecisset propter hæc accidentia. In casu vero Montis, nec Petrus, nec communitas in persona Io. pauperis expensas has fecit, sed collegii pauperum, ut ex dictis patet, & ideo Io. pauper iniuste grauat in huiusmodi expensis. Circa secundum vero exemplum sciendum est, quod ut dicitur in 4. Met. nisi cuique quaesito respondeatur formaliter omnis certitudo destruetur, eo quod extra rationem formalem vagantibus infinita occurrunt circa quodlibet. Vnde in proposito sollicitè semper attendendum est quod formaliter queratur, aut ratiocinando adducatur. Aliud. n. est petere securitatem rehabendè pecuniæ, & aliud est petere talem securitatem, s. habentem expensas annexas, puta Chirographum: quemadmodum etiam superius distinctum est, quod aliud est loqui de pignore, & aliud de tali pignore. Petens autem securitatem nihil petit in sui fauorem, habens annexum damnum eius, à quo petit illam, sicut nec petens pignus. Vnde si accidat, quod petitam securitatem aut pignus ego dare non possim, nisi cum aliqua expensa, quam qualitas securitatis, aut pignoris à me electa parit, ego ipse damnum mihi hoc infero: sicut in exemplo adducto contingit. Non. n. ex securitate petita, sed ex qualitate securitatis à me oblata expensæ istæ per se proueniunt. Et ideo teneor ego notario mercedem reddere: sicut & expensas illas subire, quæ ex pignoris emanant accidentibus. Petens vero securitatem talem (puta chirographum cum in fauorem sui petat rem habentem expensas annexas, & iniquum sit ex eo quod in fauorem sui agitur, alterum damnificari iniuste grauat eum, euidenter patet, quod Montis natura ab hoc exemplo distat in hoc, quod hic petens securitatem, nihil petit, ex quo potest oriri expensa aliqua: in Monte autem volens pignus, vult sibi à Io. paupere solui pro custodia alij, ad quæ ipse tenetur naturali iure, aut quæ ipse fieri vult non in Ioannis pauperis fauorem, ut ex dictis patet. Omnes ergo iterum atque iterum monitos esse rogo, quatenus caueant ne exemplis inhæreant, quoniam multa latent in eis accidentia, ex quibus etiam sapientes contingit falli.

Secundo dico, quod non sufficienter arguendo probatur, communitatem aut principem non teneri ad soluendam ministris mercedem. Licet enim rectè concludatur, quod non teneatur simpliciter, non tamen ex hoc concluditur, quin teneantur ex suppositione, id est supposito quod hunc modum mutuari statuatur. Et licet ut dictum est, vniuersi-

tas pauperum de iuris rigore, non communitas aut princeps ad hoc teneatur, quia hæc omnia ad communitatem iustitiam spectant, & absque publica autoritate facta iniusta non essent: æquitas tamen à iustitia non multum remota exigit, quod princeps aut communitas ex publico arario pauperibus etiam hoc modo subueniat.

Modus autem accipiendi, quod etiam iniustitiam contineat, manifestatur. Cum duo genera operum sint, pro quibus hæc à paupere exiguntur (s. illa, pro quibus non tenetur) vel quia nullus pauper ad hoc tenetur (puta pro custodia pignorum) vel quia hic non tenetur, puta pro excussione pignorum (quam ferreas virgas in pignus dedit,) de modo exigendi mercedem, pro istis non oportet probare, quod sit iniustus, quia si exactio est iniusta, modus eius iustus esse non potest. Sed & modus exigendi per his, ad quæ Ioann. pauper tenetur, s. pro obligata preparatione ad mutuandum, iniustus ostenditur: ex eo quod obligata preparationi ministri ad mutuandum nec ratione periculi, nec ratione laboris, aut cuiusvis occupationis, aut damni committitur diuturnitas temporis, quo mutuum acceptum tenetur, ut quantitas acceptæ mutuo ipsius pecuniæ. Nisi quis diceret damnum incerti ex eo, quod non potest tam frequenter mutuum iterare, ac pro hoc cessat ministri merces à pluribus suscipienda. Sed subtiliter consideranti apparebit, quod ex hoc non habetur quod oportet mercedem istam quantitati mutui & temporis quo retinetur, commensurare, sed quod oportet consideratis omnibus certum salarium sibi statuere, & illud summarie ac uerisimiliter, calculatis prudentium arbitrio pauperibus uenturis ad suscipiendum mutuum, soluendum æqualiter taxare, eo quod æqualiter ad omnes huiusmodi se obligat: sic enim merces ministris debita reddet absque ambiguitate & iniustitia aliqua. Nec inconuenit contingere pauperem pluries indigentem plures soluere minus paupere, quoniam merces hæc redditur non mutuo, aut quantitati pecuniæ mutuatæ sed obligatæ preparationi à mutuadū, quæ equaliter omnes respicit, & pauper pluries sumens, duorum rationem habet. Nec est opus prudentium virorum iudicio ista tantum submittere, quia scientiæ subiacent, sed eorum arbitrio, ut dictum est, relinquitur quantitas stipendij ministris debiti, & taxatio quantitatis pecuniæ à singulis soluendæ equalitate supposita, & alia huiusmodi singularia.

CAPVT IX.

Determinatio, quod in predictis contractibus committitur usura.

Reliquum quod ad hæc partem est, ut videatur, an in iustitia, quæ in his inuenitur contractibus, usuræ rationem habeat, quæ ex duobus considerandis est.

Primo ex eo, quod usura duobus modis committitur, scilicet augendo ex mutuo capitale, & exigendo recompensationem damni, quod non propter mutui beneficium incurritur. Neque enim minus usuram sapit uelle ab accipiente mutuum recompensationem damni, quod ab hostibus uel latronibus passus est, quam uelle ad augendas opes aliquid ultra sortem. In proposito autem, cum iam pateat, Montem pietatis, siue vniuersitatis pauperum, & breuiter uolentem sibi pecuniam Montis integre, & secure saluari quicumque sit ille, exigere à Ioanne paupere mutuum petente expensas, quæ non in illius fauorem sunt, consequens est, quod exigat recompensationem damni, quod non ex mutui beneficiorum incurritur, sed

sed propter pecuniæ rehabendam securitatem. Nec obstat aliquo modo, quod damnium ex hoc mutuo emergit, saltem occasionaliter, nihil siquid refert, unde damnium hoc proueniat, aut a quo inferatur dummodo ex eo, quod fit in fauorem Ioan. pauperis ut sic, non causetur: ista enim negatio sufficit ad quod iniuste exigatur ab eo, & consequenter quod usurarie, ex quo ut dictum est, non refert ad usuram damnium indebitum a pendere mutuum exigere, aut lucrum querere.

Secundo ex eo, quod non minus usurarium est, mercedem alteri debitam non ex seruitio impenso ad mutui beneficium ut sic, ab accipiente mutuum exigere, quam quodcumque aliud lucrum ultra forte petere, neque. n. ab usura remorius est grauari iniuste accipientem mutuum ad soluendum aliquid ultra fortem alteri, quacumque ex causa quam sibi ipsi mutuanti. Constat autem, quod hic grauat in iustis Ioannes pauper, dum accipit mutuum ad soluendum ministris, pro quibus non tenetur, quanquam nihil ad Montis mutuantis argumentum exigatur. Non igitur subterfugi potest, quin usuraria sit exactio ista, secundum iustitiam commutatiue formam loquendo.

Ad euidenciam uero solutionis obiectionum in oppositum diligenter attendendum est, quod hic sunt duo, reddere mercedem ministris, seu (quod idem est) ipsos ministros accipere mercedem pro locatis operibus, & hoc est iustissimum & quia omni equitate plenum, quia eius causa est locatio operum suorum. Alterum est exigere huiusmodi mercedem a Ioanne paupere, & hoc iniustum & usurarium est, quia eius nulla causa est, nisi mutuum, quoniam opera illa collata non sunt Ioanni pauperi, ut propter illas ab eo exigere merces possit.

Vnde prima ratio peccat, assumendo quod hic nihil ultra fortem quaritur propter mutuum, sed tantum propter locatas operas, quoniam secundum veritatem ex mutuo, exactio ista causetur, ut ex dictis patet. Vel (& in idem redit) verbaliter respondendo dicatur, quod exigere propter locatas operas potest contingere dupliciter. Vno modo propter locatas operas in fauorem accipientis mutuum, & tunc bene sequitur, ergo non propter mutuum; quia locatio operarum in huius accipientis mutuum fauorem facta, causa proxima est, quod ab eo iuste merces hæc exigatur. Alio modo propter locatas operas non in fauorem huius accipientis mutuum, sed alterius quicumque sit illa, & tunc male inferitur, ergo non propter mutuum: quoniam causa proxima huius exactio est vel mutuum, vel locatio operarum: sed locatio operarum causa secundum iustitiam esse non potest, eo quod opera non sint in fauorem huius accipientis mutuum locata, igitur mutuum huius exactio causa proxima est, ac per hoc usura committitur. Nec obstat id quod confirmando subdebatur, scilicet quod si ministri donare hoc volunt, Mons non turbabitur. Ex hoc enim nihil aliud haberi potest, nisi quod Mons lucrum ex hoc non querit, sed non habetur quin Ioannes pauper grauetur ex accepto mutuo ad mercedem reddendam ministris, ad quam non tenetur sicut si pauper ab aliquo mutuum sumat, cum onere, quod rustico cultori vineæ mutuantis mercedem reddat, usura non deficit ex eo quod rusticus potest illi pauperi absque mutuantis turbatione donare mercedem propriam.

Secunda autem ratio concludit, mercedem ministrorum non esse usurariam, & hoc proculdubio verum est: quoniam iusta & sancta est: sed non probat

A quin mercedis exactio a Ioan. paupere, qui non tenetur, sit usura: dicit enim merces illa exigere ab eo, qui tenetur dare illam, & non ab hoc paupere. Et id eo si reddatur merces talis ab eo qui tenetur, iustitia est, vel charitas si pietatis intuitu ab aliquo, qui non tenetur. Si autem exigatur ab eo, qui non tenetur, clarè constat, quod quamuis merces sibi debetur, iniusta tamen exactio est, quia hic non tenetur. Et si adiunxeris, quod exactio non nisi propter mutuum mandatur, usuraria manifestè apparebit: quod in casu isto contingere iam patet. Est igitur infra iustitiæ commutatiue terminos loquendo, multiplex iniustitia & usura in capitulis Montis pietatis.

C A P. X.

Opinio dicentium, iusta esse capitula Montis pietatis secundum formam iustitiæ distributiue.

Sunt igitur alij subtilius naturam Montis huius speculantes, qui infra iustitiæ commutatiue limites standum non credunt, sed iustitiam distributiue insertam dicentes secundum eius formam, iustitiam in his capitulis saluari defendunt. Hi casum Montis pietatis illum esse approbantes, qui in cap. 7. positus est, in quo scilicet Petrus vocato populo donat 1000. ducatos non consumendos, sed mutuandos, perpetuo tempore pauperibus, & c. ut supra non inferunt iustitiam distributiue ipsis contractibus mutui, vel pignoris, uel locationis operarum sed inuentioni mercedis reddendæ operariis. Si namque superius dicta aduentur, ad hoc deuentum est quod pauperum vniuersitas tenetur reddere mercedem ministris Montis: & ideo ipsa vniuersitas pauperum ex quo in communi nihil possidet, inuenire volens, vni soluere possit mercedem hæc ministris sibi deseruentibus, onus hoc distribuendum esse in suas partes pauperes. statuit. Vni ipsa mercedis redditio in iustitiæ commutatiue terminis relinquatur, sed intentio mercedis reddendæ secundum iustitiæ distributiue formam fieri secundum hanc opinionem potest, & de facto in Monte hoc fit.

D Dicit igitur duo hæc opinio. Primo, quod secundum distributiue iustitiæ formam in vniuersitate pauperum inuenienda est merces reddendæ ministris. Secundo, quod inuentione ista iuste secundum iustitiæ distributiue equalitatem in capitulis huius Montis ordinat, ita quod nullus pauper iniuste grauetur.

Primum probatur dupliciter. Primo, quia cum vniuersitas pauperum teneatur de suo satisfacere his ministris, suum autem non sit nisi altero modo, vel quia in communi aliquid hæret, vel quia suarum est partium, & in proposito vniuersitas non possideat aliquid in communi, restat ut de his, quæ partium sunt, satisfacere debeat, partes autem pauperum esse patet. Inter eos igitur oportet pecuniam hanc inueniri. Et cum constet, quod communia onera iuste distribuenda sunt, consequens est quod secundum iustitiæ distributiue inuentione hæc fieri debeat. Secundo, quia sicut bonum totius partibus est debitum, & id proportionaliter eis distribuendum, ita & malum totius partes quoque proportionaliter sustinere tenentur, onera autem omnia inter mala computantur, onus igitur huius mercedis soluendæ partes vniuersitatis pauperum proportionaliter sufferre tenentur. Hoc autem est inueniri pecuniam istam in vniuersitate pauperum secundum iustitiæ distributiue formam, quæ erat probandum. Secundum autem, quod de facto nulla iustitia in modo distribuendi hæc onera inueniatur, probatur etiam dupliciter. Primo, quia in hac vniuersitate bonum est ipsa subuentio & reuelatio pauperum, malum uero est onus sol

Opusc. Caiet.

P 4 uendi

uendi mercedem, æquum autem est, ut qui plus boni percipit, plus et mali sentiat: cui igitur maior fit subuentio, is magis onus solutionis subire debet. Et sic statutum est in hoc Monte, ut si cui plus & maiori tempore mutuatur, plus onus soluendi ministris sentiat. Secundo, quia æquum est, ut communium onerum illis plus imponatur, qui maiorem occasionem subeundi talia onera vniuersitati præbent. Illi autem quorum pignora maiori tempore & periculo custodiuntur, sunt humidi, quoniam maiorem mercedem tenentur reddere vniuersitas ministris pro custodia illorum, quam aliorum, ergo illi, qui diutius pignora ibi tenent, similiter illi, qui pretiosiora offerunt pignora, ex hoc quod maius mutuum sumunt, debent amplius grauari, quod in capitulis Montis pietatis continetur. Non est ergo iustitiæ distributiue uolatio in capitulis istis.

CAPVT XI.

Examen prædictæ opinionis determinans quomodo hic sit distributio.

VT eodem autem ordine ostendatur opinionem hanc deficere, Primum dictum examinando oportet ex communibus animi conceptionibus incipere, & ostendere quomodo ratio distributionis hic saluatur. Quia ergo ut dicitur in 5. Ethic. iustum in distributionibus consistit omnes secundum dignitatem quandam oportere esse, ita quod sicut iustitia commutatiua dignitatem personæ non considerat nisi in quantum in quantitatem rei redundat, ut puta cum considerat dignitatem principis percussit, quia percussio ex hoc crinosior est, ita iustitia distributiua quantitatem rei non ponderat, nisi in quantum redundat in dignitatem personæ, ut puta cum manufacit uirtutis egregium actum, ex hoc quod dignior persona illa ex tali opere red datur, ex hoc inquam consequens est quod distributionis ratio absque dignitate non inueniatur. Dignitatem autem dicimus non quodcumque bonum hominis, sed illud, ex quo homines fortiuntur, quod partes sint totius vniuersitatis, siue illud sit uirtus, ut politia aristocratia, siue rerum abundantia, aut nobilitas, ut in oligarchia siue libertas, ut in democratia, siue quodcumque aliud. Et cum talis partium dignitas ad commune aliquod opus, quod totius proprium est, ordinetur, oportet si hanc pauperum vniuersitatem in communitatem quandam erigere uelimus, inuenire & quid sit totius opus, & secundum quid partium dignitas attendatur: est autem hic opus totius perpetua commoditas mutui inueniendi, propter hoc. n. omnia sunt, & hoc sequitur mediata pecuniæ mutuanda (quæ Mons dicitur) integra cõseruatione. Dignitas uero indigentia est: id. n. in qualibet communicatione dignitas dicitur, propter quod aliquis dicitur admitti, & iniuste repellitur putatur, ut discurrendo per omnes supra dictas politias apparet. Sola autem indigentia existente, meretur quod de hoc esse collegio, & iniuste expelleretur, suppositis semper his quæ secundum legem ordinata essent, puta quod tantum pauperes ciuitatis admittantur, igitur indigentia pro dignitate in hac vniuersitate habetur. Indigentiam autem dicimus non quancunque, sed talem quæ de pignoribus possit securum facere Motem. Hic est modus, quo vniuersitas pauperum uelut communitas quædam distributionis est auctrix & capax. Qui licet sit sustentabilis, clari tamen & uerius distributionis forma in ea saluat dicendo quod sicut si militibus ultra debita stipendia propter res bene gestas pro republica distribuenda statuat quædam pecuniæ summa, distributionis

instus modus erit, ut quæto melius hic illo egit, tanto maius sit quod huic, eo quod illi detur, & sic modus & forma distributiue iustitiæ seruetur absque tot difficultatibus. Ita si pauperibus multis onera distribuenda sunt, ut hic accidit, sufficit quod distributionis iustæ forma seruetur, quæ exigit, æqualitatem proportionis, ut dictum est, quæ tunc tantum seruetur cum equalibus æqualia & inæqualibus inæqualia imponuntur.

Et quoniam siue hoc, siue primo modo ponatur distributio in pauperum vniuersitate, non refert quo ad præsentem quidcirco concedatur distributionem inueniri in inuentione mercedis reddendæ operarijs Montis, à quocumque distributio ista mandet, siue à principibus, siue à communitate, siue ab ipsa pauperum vniuersitate.

CAPVT XII.

Determinatio, quod secundum iustitiæ distributiue formam multiplex in hoc Monte iniustitia committatur.

Restat ergo considerandum secundum, si distributio isto modo facta iusta sit. Vbi premit tendum est, quod licet in distributionibus communitate minus seruetur iustum etiam absque conscientia periculo, quam in commutationibus, eo quod comparationes personarum sunt odiosæ, & paucis bonum tollant quod cæteris bonis communibus præstat, statuta tamen distributionum dispositiua tanto iustiora esse oportet, quanto facilia ab eis declinare quodammodo cogimur. Si enim ipsa statuta à iusto declinare inciperent nimia post modum in distribuendo elongatio à medio fieret, sicque iustitia corrumperetur. Et ideo diligenter oportet distributionis huius statuta examinare, ne lex iniusta sui obseruatores ad iniustitiã deducat.

Sciendum est igitur, qualiter bonum, aliter malum distribuendum est inæqualibus partibus. alicuius totius. Bonum siquidem distribuendum est sic, ut digniori maius bonum detur. Et ratio est, quia bonum totius quod est debitum alicui parti, tanto maius est, quanto pars illa maiorem principalitatem habet in toto, & tanto minus quanto pars minorē habet dignitatem in toto. Malum autem econuerso distribuendum est ut digniori parti minus malum, & minus digno maius malum imponatur. Et huius ratio est, quia ex quo minus malum habent rationem boni, ut dicitur in 5. Ethic. quia dignibilis est quam maius malum, eiusdem ratio est, quod alicui debeatur plus boni & minus mali, & consequenter parti principaliori, cui debetur maius bonum, detur etiam minus malum & proportionaliter parti uiliiori, cui minus bonorum detur, plus malorum imponendum est. Et loquimur semper de bono & malo totius quod partibus distribuendum est.

Suadet quoque hanc distributionis esse equalitatem naturæ operatio, quæ alimentum distributa membris ad principalia membra digniores partes, & ad uiliora uiliores transmittit: infirmitatem autem si potest à principalibus membris ad uiliora propelli, experientia continue docet. Unde si in pauperum vniuersitate, quæ super indigentia fundatur, bona distribuenda essent quanto aliquis esset magis indigens, tanto maius bonum sibi deberetur, eo quod maiorem principalitatem hæt in tali toto, sicut magis diues maiorem principalitatem habet in politia, quæ fundat supra diuitias, quæ oligarchia uocat. Et consequenter quæto aliquis est magis indigens tanto minus mali eois sustinere debet. Et quia onus hoc mercedis soluendæ inter mala connumeratur, oportet quod secundum iustitiæ distributiue formam

nam magis indigens minus soluat. Magis autem indigentem inter pauperes esse constat, qui maiori eget mutuo, & minus cito potest soluere. Nō ergo iuste statutum est, quod plus mutui sumētes & maiori tempore retinentes, plus teneantur soluere. Nec impeditur conclusio huius processus, si quis canillatō nibus forte adiuuentis non suscipiat id, quod tamen probatum est, scilicet uniuersitatem hanc sup indigentia fundari, aut quod ista non sit vere communitas quedam. Stat enim vis rationis in hoc q̄ distributio onerosa non debet commensurari indigentia, ita quod quanto quis plus eget, tanto plus communis oneris sustineat, hoc enim probatione non eget. Sub hoc autem principio, siue vera distributio, siue modus distributionis hic saluetur, subsumitur quōd ista distributio est onerosa, quōd manifeste patet ergo non debet quanto quis magis eget, tanto plus grauari. Sed secundum capitula huius Montis quanto pauper magis eget magis grauatur, quod manifeste patet, quia magis grauatur diuitius plus mutui retinens, hic autem est magis egēs. ergo. Committitur etiam ultra hęc iniustitia hic dupliciter, & ea scilicet, ad quā aliqui tantum secū dum iustitiam commutatiuam tenentur, omnibus imponendo, s. mercedem pro excussione pignori, & ea, ad quā omnes equaliter tenentur, scilicet mercedem pro obligata preparatione ad mutuandum imponendo inaequaliter, quoniam omnia in unū adunando, ad formam seu modum distributionis, & quae commutatiuæ iustitiæ sunt confunduntur, & quae distributiuae sunt uiolantur.

Ex his autem facile est soluere rationes in oppositum. Prima siquidem peccat, primo in medio termino, in quo nota vis ratiōis. Assumit enim æquū esse, ut qui plus boni totius percipit, plus etiam eius mali sentiat, hoc autem falsum esse monstratū est. Iniquum quippe secundum iustitiæ distributiuae formam est, ut is plus communis mali sustineat, q̄ plus boni suscipere debet, q̄ ut dictum est: minus malum quoddam bonum est. Sed aduerte diligenter, q̄ dicentes plus: aut minus boni, vel mali, de q̄ titate absoluta ipsius boni, vel mali loquunt, & nō de quantitate proportionali. De hac enim loquendo æquale malum, & æquale bonum omnibus partibus de communib. dandum est: quia iustum in distributionibus in æqualitate proportionali consistit, ut superius ex 5. thi. diximus. Et quia paruū malum magis lædit mobilem partem, quā magnū uilem, ut patet in membris corporis, & in proposito plus pauperculus læditur ex solutione duorum solidorum, quam artifex minus egens ex solutione quatuor, ideo non usquequaque falsum est illud assumptionem, s. æquum est, ut qui plus percipit boni, plus sentiat mali, sed ut iam patet, etiam sic non est pro opinione illa. Secūdo peccat in eo, quod subsumit, scilicet subuētiō mutui est bonum commune huius uniuersitatis pauperum. Reuelatio nanque pauperis ex accepto mutuo ex ipso mutui beneficio causatur. Mutuum autem ad iustitiam commutatiuam adeo spectat, ut id iustitiæ distributiuae attribuerediculum sit nisi forte distributio mutui statueretur, quod hic non fit iniusta deinde lex esset, si qua statueret, quod ex subuēntione, quam ex mutui beneficio quis percipit, aliquid pecuniæ estimabile mutuandū daret, & similiter cuiunque alteri, cui ex ulla causa non teneretur. Ex hac siquidem causa nulli ciuilitate obligatur: quamuis amicabilem debeat. Si mutaretur quoque argumentum, & esset sermo non de subuēntione p̄ mutui, sed de cōmo-

ditate perpetua mutui inueniēdi, quam totius commune bonum esse dictum est, nō potest adhuc concludi iustitiam seruari: quoniam si penes commoditatem illam, distributio oneris agenda est, cum commoditas illa omnibus mutuū sumētib. æqualiter respondeat, inaequaliter distribui solutionis onus nequaquam deberet: licet, ut ex dictis patet, iniquum sit, malum distribui, sicut & bonum.

Secunda uero ratio, quae metitur onus soluendi iuxta datam soluendi occasionem, facile soluitur, dicēdo, q̄ aut occasionis uocabulo proprie uitur, aut communiter, ut etiam causam occasionem uulgariter dicimus. Si proprie loquatur falsum est, q̄ huiusmodi occasionibus commensurandæ sint distributiones boni aut mali cōmunis, quod debetur partibus, ut patet in omni politia: secus autē de gratuitis dicendum esset remunerationibus. Si autem occasionem pro causa ponit, tunc falsum subsumitur: causa enim harum expensarum est uniuersitas ipsa, quae pignori bus tute uult pecuniā Motem saluari. Et ex hoc clarius patet ueritas primi mēbri: quia pauper ipse occasio ualde remota est, & nō nisi ipsa mediāte, & causante uniuersitate que soluere tenet, utpote non concurrens ad hoc nisi p̄ mutui petitionem, ex qua occasionem sumit mutuans, q̄ pignus uult, ex quo deinde prouenit, q̄ uniuersitas tenetur soluere. Patet igitur q̄ occasioneib. huiusmodi nulla iustitia distributiones equari debent. Ex his autem formari alia potest ratio ad principale intentū talis. In hac pauperū uniuersitate quatuor sunt, commoditas perpetui mutui habendi, reuelatio ex mutuo suscepto, remora occasio non data, sed sumpta, alicuius expensæ & indigentia: nulli horum distributio oneris huius iuste commensuratur in hoc Monte, ut patet ex dictis: ergo in capitulis Montis iustitia distributiua non saluatur.

CAPVT XIX.

Opinio dicens, in Monte hoc nullum esse proprie mutuum, sed societatem potius quandam, p̄ssimis capitulis ad commune bonum uniam.

Surrexit propter has fortē rationum angustias opinio alia, nedum hac capitula: sed alia que ab omnibus repulsa uidetur communitatibus pietate plena defendere uolēs. Hęc quantum ad propositū spectat, tria dicit. Primo, q̄ hic est contractus societatis positua & perpetuo cōseruatiua. Secundo, q̄ nō est hic cōtractus mutui proprie, sed temporalis usus cōmunis depositi. Tertio, q̄ hic est contractus locationis operariū ad custodiam pignorum, &c. Primum declaratur explanando naturā huius Montis sic: Pauperes ciues conuenientes media intercessione prædicatorū, &c. a diuitibus & a seipsis quamdam pecuniā summam dono obtinent non distribuendam, sed perpetuo usui eorum per modū mutui cōseruandam, eiusque custodiæ ac prædicti usus dispensationi, & pignori custodiæ, curæ & ceteris, ut supra, pro securitate cōmunis pecuniæ ministris quidam a pauperum patribus præponunt, reddendaque statuitur eorum operibus merces a singulis pauperibus, ut supra scilicet vnus denarius pro libra singulis mētib. &c. Hęc est pauperum ciuium societas, deponens summam illam sub communibus custodibus per modū mutui eius pauperib. dispensandam, & reddens mercedem custodibus debitā, &c. Et quia in societate ista nunquam, intenditur diuisio capitalis communis, s. depositi, nec secundum totum, nec secundum partem, sed potius procurare augmentum, & pro cōseruatione illius tuta quilibet

bet aliquid soluit puta duos denarios pro libra, &c. ideo hic est contractus societatis non diuifive, sed potestive, & perpetuo conseruatiue. Secundum vero, si quod non sit hic contractus mutui, probatur ex parte rei, quæ mutuari dicitur, & ex parte extremorum, inter quæ mutuuum dicitur. Vbiunque nãque est proprie mutuuum, ibi & res mutuata aliena est a iure petentis mutuuum, & mutuans omnino a petente mutuuum distinguitur. Sed hic neutrum istorum inuenitur: quia pecunia quæ mutuatur, communis est eis quibus mutuatur, & mutuans est ipsum commune depositum, seu ipsa societas, quæ a pauperibus societatis membris nõ omnino distinguitur: ergo nõ est hic proprie mutuuum. Maior propositio assumpta, quo ad vtranque suam partem ex ratione iustitiæ commutatiuæ in mutuis patet: quia iustitia commutatiua nõ est in rer totum, & partes: & mutuuum nõ est, nisi de eo quod alterius partis, i. singularis personæ est, & consequenter omnino alienum ab hoc petente mutuuum: vnde quando pauper a Monte mutuuum propter penuriam vocabulorum petit, temporalem vsum communis depositi secundum veritatem petit non mutuuum. Et ex hoc vltierius manifestè sequitur, quod usura hic, nõ est, quæ mutuuum explicite vel implicite comituratur. Tertium autem, quod scilicet hic fit, contractus mercenarius inter ministros & pauperes, & consequenter, quod pauperes iuste teneantur reddere eis mercedem, &c. vt per se notum relinquatur.

CAPVT XIII.

Examen predictæ opinionis determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulis Montis secundum hanc viam, quam secundum alias supradictas.

Quoniam autem opinio hec tanquam singularis communiter derelicta vñ, duo in eius examine faciendâ occurrunt, ut, s. primo ostendamus malum formatum esse ab ea casum Montis pietatis, & propterea communiter minus eius dicta recipi. Deinde admissio casu, quod iniustitiam non euertit, manifestandum est, quod contractus iste non sit socialis, vt ex Pauli secundi Pont. Max. literis ad perusinum legatum habetur, ubi monet ne ultra stipendia ministris debita aliquid accrescens habeatur, ne forte usura labes aliqua incurratur. In contractu enim sociali ex hoc, quod socii ad communis boni augmentum tendunt, ridiculum est, in dubium apud sedem maxime apostolicam uerti, an sit usura. Quod et sit contractus mutui, ex literis pluribus plurimum Romanorum Pontificum patet. Sed per enim mutuari dicunt pecuniam pauperibus a ministris Montis: & distributionem mutuo sic annectunt, vt vere mutuuum restet, quoniam mutuari secundum quandam distributionem dicunt, ut, s. plus egentibus, si constat, plus mutuetur, in fra tamè statuti latitudinem. Nec sufficit fugiendo dicere, quod penuria vocabulorum huius causa est. Tum quia in promptu vocabulorum temporalis usus, communis depositi vel boni erat. Tum quia expresse in literis huiusmodi pecuniam collectam Montem pietatis uocari dicitur: & deposita pecunia apud eos, qui mutuaturi pauperibus sunt, appellatur. Si enim mutuuum uere non interueniret, mutui nomen quodque muratum quoque esset, & saltem circumlocutione aliqua non esse mutuuum insinuatum esset: perferim quia omnes forte huiusmodi litere emanarunt ad instantiam eorum, qui usuram in hoc Monte non esse contendunt. Qua enim faciliore & magis apparente uia excludi usura potuisset, quam mutuuum non interuenire declarando? Sed quid in p-

Fabilibus moror? probatur ratione nõ esse huiusmodi contractum facilem absque mutuo, ut dicitur: Vbiunque iustum est secundum æqualitatem simpliciter rei acceptæ ad datam, ibi uere est iustitia commutatiua: sed contractus ille, qui mutui uocatur, inter Montem & Ioannem pauperem est iustus secundum æqualitatem simpliciter pecuniæ redditæ ad acceptam: ergo est contractus iustitiæ commutatiuæ. Sed iustitia commutatiua non uertitur inter totum, seu totius bonum ut sic, & partem, sed inter partem & partem, ita quod etiam totum, ut extremum commutatiuæ iustitiæ partis rationem habet, ut ex dictis patet, quæ ex S. Tho. expresse habentur: ergo contractus iste non est inter Montem in quantum est totum, siue commune bonum, & Ioannem pauperem in quantum totius partem, sed est inter totum, in quantum partis rationem habet, & Ioannem pauperem unum de populo, &c. & consequenter est uere contractus mutui. Admissio autem talis societatis contractus, quæ si non est, posset tam fieri, iniustitiam omnino ibi committit; sic declarat. In contractibus istis, de quibus est sermo, aut standum est infra limites commutatiuæ iustitiæ, aut infra limites iustitiæ distributiuæ, aut utriusque, aut neutrius. Si secundum iustitiæ commutatiuæ puræ formam agimus, cum constet, quod totum apud eam, vt pars reputatur, id ad quod totum tenetur, a parte exigere non potest: & consequenter quamuis societas pauperum teneatur soluere mercedem ministris, iniuste tamen ab hoc paupere exigitur: quia non in eius fauorem fit. Et breuiter eodem modo hic conuincitur iniustitia & usura, quo superius in fra iustitiæ commutatiuæ terminos probauimus inueniri. Si secundum iustitiæ distributiua puram procedendum esse creditur, quoniam contractus locationis operarum non est inter ministros & singulos pauperes, sed inter ministros & societatem pauperum, ut superius dicebatur, manifestus error statim patet, quoniam locatio operarum, & eius merces, & similiter acceptio pecuniæ, quæ mutua dicitur, & eius restitutio, fingi non potest quin æqualitatem commutatiuæ iustitiæ requirant. Si autem utriusque iustitiæ forma miscetur, secundum ueritatem idem est casus iste cum eo, quem superius secundum distributiua iustitiæ modum disputauimus, & conclusimus iniustum esse. In hac siquidem societate distributio non aliter, quam ibi miscetur: nisi quod ista opinio ponit ipsam pecuniam per modum mutui etiam distribui in usum, &c. Sed hoc nihil penitus uariat casum quo ad rationem iusti uel iniusti, quia in societate ista aut omnes habentur æquales, aut non, si omnes æquales, ergo iniuste vnus plus alio grauatur onere solutionis, ad quam societas tenetur, quoniam secundum dignitatem iustum in distributionibus attenditur. Si in æqualitate inter eos ponitur, cum non nisi ratione indigentia ponatur, quia plus egenti plus mutuandum statuitur, in fra latitudinem tamè aliquam, puta iocundatorum, tunc manifeste redit iniquitas illa in distributionibus, quia plus accipiens communis boni plus cogitur sentire communis mali, & distributio communis oneris commensuratur singulorum indigentia. Et manifestius accedit hic iniustitia, quæ in gabellis pro rebus quæ deferuntur ad usum, inuenitur. Vtrobique enim iniustum ex natura rei inuenitur ex eadem causa, quia scilicet supportatio communis oneris commensuratur necessario usui, usus autem necessarius commensuratur indigentia, & sic de primo ad ultimum æqualitate seruata oneris

oneris communis distributio indigentia ciuium & pauperum commensuratur, quod est iniquum. Refugit enim omnis auris, quod tanto quisque communibus graueatur, quantum magis propriis indiget. In hac enim societate quis magis eget, ut propriis possit prouidere necessitatibus, tanto maius mutuum sumit, & diutius retinere cogitur, & tanto plus exigitur ab eo pecunia debite societate pro seruitiis sibi impensis, ut patet. Et ne iterum dicta repetantur, eodem est modo hic in iustitia distributua, sicut superius eisdem rationibus. Si autem neutrius iustitia fornam introduci oportere quis putet, sed iustitiam legalem tantum, quae commune bonum per se respicit, & ad illud omnia dirigit, cum fraterna quadam societate errat in primis, ad fraternam societatem confugiens: quoniam operationes hic interuenientes secundum genus suum ad iustitiam non ad amicitiam, &c. spectant, quoniam sunt operationes ad alterum cum ciuili debito equalitatis, in quibus ratio iusti consistit. Nec fraterna voluntas omnia communia volens, hic apparet, nisi apud mentis propria parum compotes: qui omne uoluntariu iudicat simpliciter uoluntariu. errat deinde, quia sub iustitia legali seu generali non cadunt nisi in diuina, & generalia sunt uirtutum & uitioru. Expresse namque in 5. Ethic. habet, quod omnis particularis bonitas aut malitia sub iustitia legali cadens, sub aliqua alia uirtute aut uitio necesse est contineatur. cum ergo constat, quod actus hi indifferentes non sint, & non sint omne bonum aut omne malum, oportet quod sub alia uirtute aut uitio comprehendantur. Et si huic iunxerimus supradicta, quod scilicet spectant ad iustitiam, oportet ad commutatiuam uel distributiua descendere, ut fecimus. secundum quas iam patet, iniustitiam euitari in capitulis huius Montis non posse.

Ad rationes ergo, quibus probatur quod hic non interuenit mutuum, dicendum est, quod inter assumpta & casum est implicatio contradictio nis, repugnat enim, quod sit contractus rei inter totum ut sic, & eius partem, & quod sit secundum equalitatem rei ad rem. Si namque est secundum equalitatem rei ad rem, ergo est iustitia commutatiua: ergo inter partem & partem: ergo non inter totum ut sic, & partem. Et similiter si est inter totum ut sic, & partem, ergo est secundum dignitatem partium in toto; ergo non secundum equalitatem rei acceptae aut date. constat autem, quod hic seruatur equalitas rei ad rem, dum a paupere mutuum restituitur, & tamen secundum istam opinionem inter totum ut sic & partem contractus est: implicatio igitur accidit. Est autem causa defectus in huiusmodi ratione, quia non discernitur inter per se & per accidens. Accidit enim Monti, in quantum pecuniam reddendam tribuit pauperi, ut suis prouideat necessitatibus, quod totum sit: hoc enim sub partis ratione tacit, & ideo mutuas hic est omnino alius a mutuum sumente, si formaliter considerentur: quoniam singularium personarum quo ad hoc locum tenent. Et similiter accidit pecuniae in quantum sic Ioanni pauperi mutuatur, quod communitatis, aut communis societatis, aut cuiusque alterius aut nullius sit: sufficit enim, quod Ioannis pauperis sic non sit, quod ad eius restitutionem integre non teneatur. Accidit quoque defectus: quia inter totum & partes necessaria discretio omittitur; huiusmodi enim totum specie a parte differt: & quod toti debetur, parti non debetur. Et si militer ad quod totum tenetur, pars non tenetur, loquen-

do semper secundum equalitatem rei ad rem, que hic est; quoniam pro seruitiis societati impensis, non in fauorem huius, qui accipit mutuum ut sic: sed totius perpetuae societatis tenetur ipsa ad mercedem reddendam ministris (ut supra patuit) & restituit sic ac conseruari pecuniam uult.

Accidit & tertio defectus in hac via: quia non distinguit inter aliquid fieri in fauorem pauperis mutuum sumentis, proxime & remote. Quod. n. in fauorem communis perpetuae societatis fit, non nisi remote fit in huius pauperis fauorem, ut ex dictis patet. Nullo igitur modo capitula huius Montis pietatis iniustitiam subreptugere possunt.

CAPVT XV.

B *Exclusio quorundam extraneorum dictorum concludens ultimo intentam sententiam.*

Per gratias omnibus his opinionibus, que aliquid ad propositum ex moralibus rationibus adduxerunt, restat primo nominanda tantum opinio dicens, Montem hunc pietatis cum suis capitulis non mutuum facere, sed rem quandam diuinam esse. & hominibus ineffabilem, & propterea rationibus huiusmodi, quae humanos scrutantur actus, non omnino committendum esse iudicium huius Montis, &c. Nos. n. cum sua diuinitate ueluti loquentes, in aere relinquere oportet. Remanet deinde eis satisfaciendum, qui contractus huius Montis ab apostolica sede approbatus dicunt, aut audiunt; ac per hoc rationes sophisticas putant, etiam si solvere nesciant. Sciunt igitur hi Montem quidem pietatis ab apostolica sede approbatum, sed non illius capitula: ut exemplo literarum approbationis coniectere potui. Appellatur autem Mons pietatis (ut in eisdem dicitur) summa illa pecunia pie collecta, & sub custodibus deposita ad perpetuam releuationem pauperum mutuo mediante. Vbi nota quod Mons ipse est simpliciter approbatus & erectus ab ipso summo Pontifice. Eius autem capitula supradicta sunt approbata cum hoc adiuncto, scilicet sacris canonibus non contraria: unde si qua capitula sunt sacris canonibus contraria, approbata non sunt. Hec autem esse ea, que iniustitiam continet, nullus dubitat. Non sunt igitur approbata capitula illa que iniusta esse superius monstratum est. propter quod si ita est non paruum peccatum fuit, face re imprimi summi Ponti. bullas truncatas absque illa particula, scilicet sacris canonibus non contraria. Laqueus siquidem est animarum: in quem ego incidissem, uel saltem absque suspensione non fuisset, nisi uia uoce audissem sic haberi in originalibus, & calamo scriptam particulam illam in bulla Mantuanae copia uidissem. Ex hac quoque eadem radice satisfit illis, qui ex priuilegiis & indulgentiis concessis a Romano Pontifice illis, qui ad Montis conseruationem, aut augmentum manus porrigunt adiutrices, arguunt. Iam enim patet, quod Mons ipse sanctus est, & in ordine ad illum haec omnia ceduntur. Annexa tamen mala ex hoc non approbantur; sed potius tolerantur ad euitationem maioris mali quo per publicos usurarios res pauperum vorantur.

E Ex rationibus ergo propriis iustitiae commutatiuae, & iustitiae distributuae, clarum iam cuiuslibet patet, non solum quod nullo praedictorum modorum iniustitiae macula abest a capitulis Montis huius, sed etiam quod quocumque alio modo casus formetur, iustitiae equalitas non seruatur. Nec oportet omnem sigillatim obiectionem excludere: quoniam ex supradictis (quae ex Ethicis Aristotelis & doctri-

doctrina S. Th. adeo sumpta sunt, ut si sigillatim allegatione fieret, omnia plena allegationibus essent) cuilibet in moralibus exercitatio facile ex omnibus satisfacere, ut omnes veritatem cognoscant, quæ prima est veritate. Cui honor & gloria sit ex hoc opus. *papa in S. Apollinare completo hodie, id est die 13. Julii 1498. per infinita secula seculorum, Amē.*

Tractatus Thomæ de viro Caietani sancti Xysti de Monte Pietatis finit.

TRACTATUS SEPTIMVS,
De Cambiis in octo capita diuisus, ad
Dominum Andream Brixensem Bri-
xiæ priorem.

- 1 De tribus generibus cambiorum.
- 2 De opinionibus dicentium, in cambijs realibus esse mutuum.
- 3 De opinionibus dicentium, in cambijs realibus esse contractum permutationis.
- 4 De opinione singulari circa cambia.
- 5 De natura artis campforie.
- 6 Quomodo oporteat numismatum commutationes fieri ad hoc, ut rectitudo seruetur.
- 7 An talia cambia proposita sint vere cambia, et iustificata.
- 8 De alijs cambijs propositis ex parte accipientium cambia.



Oncessum mihi his diebus orium, venerande amantissimeque pater, ad eundem promissum paternitati tuæ tractatum de cambijs, inuitans post auditos campfores, plerasque diuersorum de his opiniones, ac diuinam meditationem, ad scribendum tandem impulit. Tanta siquidem est rei huius obscuritas & inuolutio, ut in consuetudine non absque fautoribus, & inde doctoribus plurimis, modernis tamen sistentibus (antiquis siquidem proposita difficultas hæc non fuit) tacendum potius uideretur. Verum ubi plures dies lectioni meditationique iam dedissem, & infidelis promissionis reatus occurreret, diuina fretus ope, tria de cambijs tractanda censei. Discernenda sunt primo dubia a certis. Adducendæ sunt deinde opiniones aliorum de dubijs. Firmandum est demum quid uideatur de his sentiendum.

CAPVT PRIMVM.

De tribus generibus cambiorum.

Cambiorum modi quamuis multi sint, quo ad differentiam tamen certi uel dubii, trifariam ea diuidere sufficit. Quædam siquidem sunt, quorum iustitia clara est. Quædam uero, quorum iniustitia similiter aperta est. Et quædam, quæ an sint iusta, uel iniusta, in dubium inter doctores vertitur.

Iustificata siquidem sunt, quæ sunt in tribus modis. Primo, quum in cambio minuto campfor moderate lucratur secundum patriæ consuetudinem. Vocatur autem cambium minutum, cum campfor pro aureo ducato monetam dat consuetam in patria illa expendi, uel econuerso, aliquid minus dando, quam recipiat. Hoc enim continet naturalem equitatem, ex eo quod industria & opere campforis ratio habenda est. Quum enim cæterarum artium ministros liceat in commutationibus propriis laboris industriaeque mercedem componere, campforibus, qui commutationibus numismatum de-

feruiunt, id quoque licere non est dubium. Propter quod non irrationabiliter id dicunt opinantes tale lucrum campforibus tantum licitum, ita quod priuatus homo si cambire debet ducatum aureum, nihil debet lucrari. Commutatio nanque numismatum patriæ non uagatur quo ad ualorem (quemadmodum cæteræ commutationes) sed determinata est, puta quod ducatus aureus ualeat duodecim marcellos. Et sicut in cæteris commutationibus æqualitatem uiolare iniustum est, ita in commutatione numismatum. Vnde nisi uel propter mercedem seruitii, non in numerando pecuniam ut quidam putant (quoniam contingit sepe minus numerare campforem, quam accipientem, & actus numerandi non est proprie mercenarius, sed solitus gratis concedi, ut usus libri, & numerationi campforis respondet numeratio dantis aliam monetam) sed in arte campforia, Reipublicæ ministrando, uel propter incommodum, quod quis incurreret ex ablatione talis generis pecuniæ a se, uel qualitatem numismatum (ut infra declarabitur) non licet plus in cambio minuto accipere, quam detur. Quorum nullum locum habet inueniunt saltem in singularibus hominibus, non campforibus. Secundo quum campfor moderate lucratur, ex eo quod Petrus habens certam summam pecuniæ Mediolani, dat eam campfori, qui faciat æqualem summam Romæ dari sibi uel alteri. Si enim ex hoc campfor mercedem exigat, iusta est exactio, campfor. n. translatoris in hac parte locum tenet, nec est equum, ut merces suo feruitio subtrahatur. Tertio, quando campfor lucratur ex eo quod monetam alicubi minus ualentem congregatam transfert in locum, ubi plus ualeat. Hæc. n. est negotiatio numismatum: ex qua primo ortum habuisse uisus est campforia, ut uisus est in 1. pol. Et est licita sicut cæteræ negotiationes ad augendas opes licent.

Iniusta uero absque dubio cambia illa sunt, quæ his duobus modis sunt.

Primo, cum campfor lucratur, aut lucrari intendit, ex eo quod Petro egenti Mediolani dat certam summam pecuniæ sub nomine cambii de Lugduno uel Londris: & tamen secundum ueritatem ibidem restituitio faciendæ utrinque scitur, siue fiant literæ cambii, & non presententur, siue non fiant literæ. Interuenit siquidem hic manifeste solo nomine cambii & secundum rem mutuum cum lucro, aut spe lucrari, secundum quod diuersimode fit.

Secundo (& in idem redit) cum campfor, ut lucratur, dat Mediolani Petro egenti centum ducatos recepturus ab ipso Petro ibidem hinc ad mensentantum, quantum ualebunt tunc Venetiis: secundum cursum cambiorum decem libræ grossorum, quæ æquivalent centum ducatis regulariter, sed in cursu cambiorum Venetiis quandoque excedunt, & quandoque exceduntur. Hic enim secundum ueritatem est contractus mutui, Cambii nomine paliiatus, & sic cum spe lucrari contra illud Luc. 6. mutui date nihil inde sperantes. Et celebratur communiter cum probabili coniectura, quod erit ibi lucrari, qui communiter solent tunc ualere plus decem libræ grossorum, quamuis quandoque, sed raro minus ualeant, & propterea est hic usura. Nec potest excusari, nisi in casu in quo Petrus egeret illis centum ducatis, & campfor haberet in promptu uerum cambium agendum cum illis centum pro Venetiis illo modo, & ad instantiam Petri illos sibi eo pacto daret. Et hoc si contractus talis ueri cambii esset licitus, de quo infra erit sermo.

Dubia autem cambia, quædam sunt ex parte campforum,